

II. fol. 14. p. 2. Sequuntur Ascetica breviora: 1) *Formula honeste uite*, perperam a *Bernardo Silvestri* ad *Claraevallensem* translata, et saepe nobis memorata: *Petis a me &c.* 2) continuo adscriptum, quod *Mauriani* T. cit. col. 799. adpellant *Arnulfi de Boeriis Speculum Monachorum*, quod nullo titulo, rubro incipit: *Si quis emendationis uite desiderio tactus &c.* 3) *De quadruplici morte. De tribus viribus anime. De triplici extasi. De dilectione.* et plura similia iis, quae in *Libro Sententiarum* T. cit. col. 771. habentur, et si penitioris indagationis pretium esset, reperirentur in *Hugonis a S. Victore* Operibus.

*Par est in verbis odoriferis id opus herbis.  
Nempe gerit flores Bernhardi nobiliores.*

Prologi initium dabo infra. Hunc excipit Index Capitum L. I. quod

*Flagrat Bernhardus sacer in dictis quasi nardus,  
Ex quibus hic tractus liber est in scripta redactus.*

Lege id odoriferis, et *Fragrat.* Fol. 35. p. 2. monet in margine Miniator: *Hic deficiunt decem Capitula, que require in fine auctoritatum de beata virgine*, et reipsa ibi fol. 105. p. 2. comparent; pertinent vero ad L. V. inter C. XVII.

*Prologus in verbis exhaustis fonte beato  
Presulis aurelij salientis gurgite pleno  
Sic Augustinum lector agnosce vocatum  
Hunc dum sacra fides suscepit fonte renatum.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

CCCXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3012 XIV. Folior. 218. f. per duas columnas bene scriptus, coloribus illustratus, et prius, ut fol. 217. p. 2. notatur: *Monasterij sancte dorothee in wienna*, sequentia includit: I. *Incipit Liber primus exceptionum collectarum de diuersis opusculis beati Bernardi egregij abbatis Claraevallens.* Additur in margine: *editus ab episcopo Zenonen. petro*; nempe *Petro Rogerio*, qui ex Archiep. *Senonensi Clemens VI.* Pont. Max. fuit; sed reclamant Literatores pro *Guilermo Tornacensi*, ut jam dixi *Vol. I. P. 1. col. 1083.* et repetam ad Codicem sequentem. In praesenti ante Prologum:

etiam per omnes X. Libros obtinet, et subjicitur:

et XXVIII. ut etiam Editio *Norimb. f. l. et a.* confirmat. Plura ad Codicem sequentem.

II. fol. 109. *Incipit liber florum collectus et concinatus de diuersis libris summi et imperialis doctoris Augustini.* Ante Prologum:

Sss

Ini-

Initium Prologi: *Quorundam librorum gloriosi et incomparabilis Doctoris Augustini tractatus percurrentes, ut pigri lectores &c. Materia compilationis ita enunciat: In hoc igitur libello primo de eo quid est deus agitur. Dein vero*

*a fundamento confessionis per virtutum gradus usque ad summum verticem que vita est eterna opus omne pertingit. Denique concluditur: Hunc ergo librum florigerum appellamus. Et versu:*

*Florigerus liber hic non immerito vocitatur.  
Nempe gerit flores quibus incola mens recreatur.*

Adparet imitatio praecedentis *Floriti Bernardini*, sed arctiores sibi limites circumscripsit Imitator; *Capitibus* enim tantum XXVII. rem peregit, quorum I. incipit: *Da michi domine scire et intelligere &c.* et ultimum finit: *Sic inuenietur Sic aperietur Te prestante qui viuis &c.* Tum minio: *Explicit Florigerus — finitus Anno incarnationis domini Millesimo Trecentesimo Nonagesimo primo Per Bertholdum de Ratispona In Vigilia natiuitatis gloriosissime Dei genitricis &c.* Quod etiam si abfuisset, Codicem tamen in *Germania* scriptum fuisse liqueret e verbis: *Maria go- tez muter*, quae in Rubrica fol. 103. leguntur. *Bertholdus* hic non sane *Ratisponensis* est celebris ille *Franciscani Sodalitii Ecclesiastes*, nisi annus mortis 1272. *Waddingum* in *Scriptt. Ord.* fefellisset, quod non credo.

III. fol. 120. Excerptum Epistolae *Bernardi* CL XXIV. ad *Canonicos Lugdun.* de *Conceptione B. Mariae*, quae habetur edit. *Maur. Vol. I. T. I. col. 169.* cui posterior manus striceturam adiecit in hunc sensum: *Jam non licere*

*tam libere opinari, postquam Deus per sacrosanctum concilium basilicense determinauit beatam virginem sine originali conceptam.*

IV. eod. fol. p. 2. Incipit *Omelia beati Bernardi super sermone Domini in cena.* Dic *Homiliae XV.* sed nobis ultimae duae in unam confluxerunt, et pro *Bernardo* repone *Ogerium Abb. Lucedii*, ut habes edit. cit. T. V. col. 597. et in nostris his *Commentariis* plus vice simplici.

V. fol. 145. p. 2. Biga *Sermonum Bernardi.* Prior: *Vigilate Fratres &c.* pro *Fer. IV. Hebdom. sanctae*, ut edit. cit. T. III. col. 884. Alter: *Hij sunt dies &c.* pro *Coena Dom.* ut col. 890.

VI. fol. 149. Incipit prologus *Domni Bernardi Abbatis de clara valle in opus sequens*, id est, *Homiliae super Missus est.* Initium: *Scribere me aliquid &c.* Omnia integra, ut edit. cit. T. III. col. 732.

VII. fol. 160. Biga *Sermonum venerabilis Bede presbiteri.* Prior in *Missus est.* *Exordium nostre redemptionis fratres karissimi &c.* ut edit. *Colon. 1688.* T. VII. col.

1013

P A T R I S T I C I.

1014

335. f. Alter in Exurgens Maria. *LECTIO* quam audiimus sancti evangelij &c. ut col. 101.

VIII. fol. 164. p. 2. Omelia origenis. In Evangelium: Cum esset desponsata mater ihesu &c. Matth. c. 1. Initium: Que fuit necessitas ut desponsata esset &c. Incerti Auctoris est, proptereaque in Edit. Maur. omissa. Vide, si lubet, Origeniana Huetii in Adpend. L. III. n. 5.

IX. fol. 166. Incipit Omelia Beati Bernardi super istud iobannis: Stabat iuxta crucem &c. Initium: Sicut christiane religionis defectus ex ariditate causatur cordis frigida. Sic nimirum ex inflammata affectione &c. Non reperi in Operibus Bernardi, neque ejus aetatis censo Meditationem hanc potius, quam Homiliam, quae singula Textus sacri membra expendit usque ad illud: *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua, et Mariae Epistolam ad Ignatium* citat.

X. fol. 176. Incipit liber de vita christi beati thome de aquino. In Edit. Opp. Romae 1570. T. XVII. P. 2. inter Opuscula f. 64. inscribitur de Humanitate J. C. D. N. et incipit: *Christus ihesus venit in hunc mundum* &c.

XI. fol. 208. p. 2. Albertus super Magnificat. Exposuit Albertus M. Canticum istud in suo super Lucam Commentario T. X. Opp. Lugd. 1651. f. Sed utraque Expositio in diversum abit. Initium nostrae est: *Magnificat anima mea dominum. Magnificat uoce, magnificat opere, magnificat affectu*

&c. Itaque ad alium Albertum, qui non desunt, referendam putem.

XII. fol. 210. p. 2. Incipit libellus de recommendatione caritatis. Initium: *Seruo christi petro hugo, gustare et uidere quam suavis est dominus. Cogitanti mihi frater karissime* &c. In Operibus Hugonis Victorini edit. Rothom. 1648. T. II. p. 233. f. inscribitur: *In Laudem Charitatis.*

XIII. fol. 212. p. 2. Hic ponitur symbolum apostolorum cum prophetijs correspondentibus. Nota est opinio olim pervagata, singulos Symboli Articulos a singulis Apostolis concinnatos fuisse. Hic igitur ad ostendendam utriusque, ut putem, Testamenti ἀρμονίαν singulis praefixus est locus Propheticus παρὰ ἄλλῃλος.

XIV. fol. 213. Incipit libellus Sancti Augustini ypponens. Pontificis de conflictu viciorum atque virtutum. Et ad calcem: *Explicit liber beati gregorij pape de conflictu* &c. Sed utraque haec Rubrica rafa et resecta est. Tam parum sibi constabant Librarii de Autore hujus Opusculi, qui Ambrosius Autpertus est, ut jam Vol. I. non semel dixi. Initium: *Clamat vox apostolica* &c.

XV. fol. 216. p. 2. Incipit regula beati augustini de vita monastica. Ita: *Ante omnia fratres karissimi diligatur deus* &c. ut edit. Maur. T. I. col. 789.

CCCCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 266  
XV. Folior. 207. f. rubricis enotatus,